

1538

draginta aureorum millia ad persolvenda classiariis stipendia, quatuor millia ad reficiendas triremes transmissa. Francisco Barbaro legato Jaderam proficisci jussò, ut duodecim aureorum millia sibi tributa in milites erogaret, atque munitionibus reficiendis daret operam, injunctum est. Ceterum Capellius curis, ac sollicitudinibus animi, corporisque laboribus, & vigilis confectus, in gravem morbum cum incidisset, in patriam revertendi, magistratuque se abdicandi veniam a Senatu petiit. Ea de re Senatusconsulto, cum ad majora comitia ferretur, rejecto, triremi Fossam Clodiam veniendi, atque per duos menses valetudini Venetiis incumbendi Capellio concessum est. Marcus Antonius Grimanus, ac Franciscus Contarenus, continentis Sapientes, ad invisendum illum publico nomine accedentes, gravi morbo afflictum, & pene confectum, conspexere: moxque successor illi majoribus comitiis Joannes Maurus, Cretæ summus præfectus, datus est.

Per eosdem dies Franciscus Maria Feltrius Ruverensis, terrestrium Reipublicæ copiarum imperator, Urbini ex humanis excessit, quo superiori æstate, valetudine correptus, atque ob id bellicis muneribus obeundis nequaquam idoneus, se conferre coactus fuerat: vir sua tempestate militari disciplina, ac rebus a se gestis clarissimus, egregiis in Rempublicam meritis, & summa fide, magna existimatione a Venetis habitus. Quindecim annorum spatio bello, ac pace præclaram Reipublicæ operam navavit; cuius vires cum maritimis, tum terrestres, oppida, arces, regiones accurate adeo noverat, ut saepius, cum de gravissimis rebus ageretur, eum Patres in consultationem adhiberent. Guidum Ubaldum filium, Camertium Ducem, heredem reliquit. Is statim Joannem Jacobum Leonardum legatum Venetas misit, qui patris obitum significaret, seque, resque suas Senatui, quammaxime posset, commendaret. Justa illi Senatus decreto in Gemellorum æde habita sunt; Laurentius Contarenus, juvenis ad eloquentiæ laudem natus, funebrem orationem habuit: Franciscus Sanutus ad Guidum Ubaldum orator missus est, ut patris obitum doleret, ac de illius in paternum imperium successione lœtaretur. Urbinatis obitu vetus de Camertium imperio obtinendo in Paulo summo Pontifice cupiditas oborta, minime opportuno

Vincentio
Capellio
agrotanti
facultas
Clodium se
recipiendi
permittitur.

Joannes
Maurus
Capellio in
classe impre-
rios sufficitus

Francisci
Maria, Ur-
bini Ducus,
obitus.
Guido Ubal-
dus, Urbini
Dux, ora-
torem ad
Venetos
mittit.

Franciscus
Sanutus ad
Urbini du-
cem orator.